

PARS III

DE INSTITUTIS VITAE CONSECRATAE ET DE SOCIETATIBUS VITAE APOSTOLICAE

Normae communes omnibus institutis vitae consecratae (573-606)

Vivendi modus in communi qui importat incorporationem religioni et habitationem sub eodem tecto, subiectionem iisdem regulis et communem victum perficit in jure singularem vitam christianam per Instituta vitae consecratae et Societates vitae apostolicae, canonice probata.

Sede Apostolica consulta, etiam Episcopi dioecesiani in proprio territorio erigere possunt Instituta. Pariter eorum tota suppressio Sedi Apostolicae proprie reservatur.

Instituta, quorum aggregationem, immutationem, autonomiam et regimen Codex statuit defenditque, dicuntur juris pontificii, si a Sede Apostolica erecta; juris vero dioecesiani, si ab Episcopo dioecetano.

Insuper Institutum clericale seu religiosum appellatur, si exercitium ordinis sacri assumit et sub clericorum moderamine est. Dicitur vero laicale seu saeculare quod exercitium ordinis sacri non includit.

Attentis indole et finibus propriis, Instituta in constitutionibus definire debent modum quo consilia evangelica castitatis, paupertatis et oboedientiae servanda sunt.

Quae de Institutis virorum statuuntur pari jure de mulieribus valent.

Vita eremitarum professa in manu Episcopi dioecesiani ab Ecclesia

prohibita non est; huic vitae consecratae formae ordo virginum accedit.

ANNOTATIO: Diversa nominatio status christifidelium, qui speciali modo missioni salvificae prosunt. Eremitae et virgines jure agnoscuntur.

De Institutis religiosis (607)

Societas a legitima Auctoritate approbata est Institutum religiosum in quo sodales secundum proprias leges publica vota perpetua vel temporanea nuncupant et vitam fraternam in communi eligunt.

De domibus religiosis earumque erectione et suppressione (608-616)

Modus vivendi in communitate postulat habitationem sub eodem tecto et erectionem domus legitime constitutae sub auctoritate Superioris designati praevio Episcopi dioecesani consensu.

Ad erigendum Institutum monialium requiritur insuper Apostolicae Sedis licentia.

Nisi aliter ferant constitutiones, domus religiosae, quae congrue sodalium necessitatibus providere debeant ut erigi possint, sui juris sunt.

Domus religiosa supprimi potest a supremo Moderatore audito Episcopo dioecesano; suppressio unicae domus ad Sanctam Sedem pertinet; domus sui juris a Capitulo generali, si aliter constitutiones non ferant; monasterium sui juris a Sede Apostolica.

De institutorum regimine (617-640)

Regimen Institutorum ordinarium a Superioribus sive solis sive cum Capitulo vel suo consilio ad normam juris universalis et proprii exercetur.

Maiores sunt Superiores qui potestatem obtinent in toto Instituto vel in omnibus provinciis aut domibus sui juris: his accedunt Abbas Prima et Superior Congregationis monasticae.

Provincia est coniunctio plurium religionum domorum sub eodem Superiore, constituens partem eiusdem religionis.

Superiores minores potestatem habent in domo cui praesunt.

Moderator supremus potestatem in omnibus Instituto provinciis obtinet.

Nisi Instituto constitutiones aliter ferant, valide Superiores nominantur aut eliguntur post congruum tempus a professione perpetua vel definita.

Omnes Superiores sunt ad tempus.

Superiores habeant suos consiliarios, quibuscum negotia pertractent et quorum consilium vel consensum exquirant.

Ad normam constitutionum inter obligationes et jura Superiores in sua quisque domo commorare debent et officium visitationis habent.

Praeterea constitutiones ordinant Capitula quae supremam auctoritatem secundum jus proprium in Institutibus obtinent.

Capitula sunt: Capitulum locale, provinciale, generale et autem electivum ordinariumque.

Nisi aliud expresse caveatur, bona temporalia religionum Institutum reguntur praescriptis Libri quinti: «De bonis Ecclesiae temporalibus».

Nisi hoc in propriis constitutionibus excludatur, «Instituta, provinciae et domus, utpote personae iuridicae, capaces sunt acquirendi, possidendi, administrandi et alienandi bona temporalia».

Oeconomus gerat administrationem bonorum et rationem Auctoritati competenti reddit.

Ordinario loci jus esto cognoscendi semel in anno de ratione oeconomica monasterii sui juris et insuper domorum religionum juris dioecesanii.

Determinatio actus tum ordinariae tum extraordinariae administrationis ad jus proprium pertinet. Qua re ad eorum validitatem requiritur licentia in scripto data Superioris competentis cum consensu

sui Consilii vel Sanctae Sedis nonnumquam.

De responsabilitate pro debitis et obligationibus valet praescriptum canonis 639.

De candidatorum admissione et de sodalium institutione (641-661)

Qui tendere vult ad perfectionem christianam et necessarias corporales spiritualesque qualitates possidet in religionem admitti possit a Superiore maiore (v.g. generali aut provinciali) iure proprio.

Pro candidato novitiatus est illud probationis tempus quo durante novitius religionem experitur atque ad eius officia et onera instituitur antequam ad professionem admittatur.

Ad novitiatum admittitur qui annum decimum septimum completum habet.

Ad novitiatum invalide admittitur:

- coniux durante matrimonio;
- qui ad sacerdotium in aliqua religione destinatus vel in aliqua societate vitae apostolicae incorporatus;
- qui suam incorporationem in aliquo Instituto aut Societate celaverit;
- qui in Institutum ingreditur vi, metu gravi aut dolo incusso.

Ne admittantur clerici saeculares, inconsulto proprio ipsorum Ordinario, nec aere alieno gravatos qui ad solvendum pares non sint.

Candidati exhibere debent litteras testimoniales recepti baptismatis et confirmationis necnon status liberi.

Novitiatus peragi debet in domo novitiatus quae erigenda est ad normam constitutionum.

Exacto novitiatu, post duodecim menses vel post biennium si extendatur, novitius idoneus iudicatus admitti debet ad professionem.

Novitiorum institutioni praeficiendus est magister qui graviter obligatur adhibere omnem diligentiam erga alumnos quoad studium, meditationes precesque assiduas.

Vi professionis religiosae, quae quidem contractus est bilateralis et ideo peculiaris actus iuridicus, novitius statum religiosum suscipit

et cum votorum emissionem se obligat ad consilia evangelica observanda.

Professio dividitur in perpetuam et temporariam prout vinculum inducit ad totam vitam vel solum ad tempus.

Ad valorem professionis requiruntur:

- aetas decem octo annorum;
- novitatus validus integre peractus;
- admissio ad professionem libere facta a legitimo Superiore;
- professio expressa sine vi aut metu vel dolo emissa;
- receptio a competenti Superiore vel per alium constitutum.

Professio temporaria fere emittenda est ad triennium, sed opportune et iuxta jus proprium prorogari potest.

Professio perpetua requirit vigesimum primum aetatis annum completum et praeviam professionem temporariam saltem per triennium.

Religiosi per totam vitam agant de formatione religiosa, spirituali, doctrinali et practica in propriis constitutionibus expressa.

ANNOTATIO: Ad admissionem novitii requiritur annus decimus octavus; contra Codex 1917 annum decimum quintum statuebat.

De institutorum eorumque sodalium obligationibus et juribus (662-672)

Obligationes et iura Institutorum eorumque sodalium ex triplici fonte oriuntur: ex legibus ecclesiasticis, ex statu, ex votis.

Religiosi generatim tenentur communibus clericorum obligationibus. Participent cotidie Sacrificium eucharisticum, lectioni sacrae Scripturae vacent.

Tenantur proprium habitum deferre; tendere ad consequendam perfectionem; non solum vota servare fideliter sed totam vitam componere secundum regulas et constitutiones proprias. His etiam spectat servare vitam communem et a domo discedere nisi de licentia proprii Superioris concessa ad tempus aut non tamen ultra annum.

In domibus Institutorum clausura observanda est; disciplina clausurae strictior servanda est in monasteriis.

Insuper religiosus tenere debet necessariam discretionem in usu mediorum communicationis et observare praecepta Superioris legitime data.

Votum paupertatis vetat ne religiosus ulla temporalia propria licite uti valeat. Quidquid acquirit industria propria vel ratione Instituti acquirit Instituto, nisi aliud jure proprio statuatur. Ex Instituti natura enim sodalis bonis suis renunciare debet ante professionem perpetuam.

Institutum suppetabit omnia quae necessaria sunt ad religiosi vocationis finem assequendum.

Munera et officia extra proprium Institutum ne recipiat religiosus absque licentia sui Superioris.

De apostolatu Institutorum (673-683)

Codex generali modo commendat ut religiosorum apostolatus in eorum vitae consecratae testimonio consistat; eorum cooperatio spiritalis admittatur et praestetur in Ecclesiae communione.

In actione apostolica peragenda religiosi potestate Episcoporum subsunt, sed Episcopi dioecesani et religiosorum Superiores collatis consiliis procedant.

Urgente gravissima causa Episcopus religioso in dioecesi commotionem prohibere potest.

In apostolatu externo cooperatio et coordinatio inter Instituta et clericos foveatur.

Opera ab Episcopo commissa religiosi auctoritati et directioni eiusdem Episcopi subsunt. Item quoad officia, sed Episcopus, qui religiosum ab iis amovere potest, consensum Superioris obtinere debet.

Tempore visitationis pastoralis, Episcopus dioecesanus ecclesias, oratoria, scholas aliaque opera religiosorum visitare potest; numquam scholas Instituti quae exclusive pateant propriis alumnis.

Quod si abusus deprehenderit, Episcopus per se providere potest monito Superiore.

ANNOTATIO: Codex benedictinus caput simile non possidebat, etsi aliqua munera privilegiaque statuuntur; in praesenti Codice caput novam formam et structuram habet.

De separatione sodalium ab Instituto (684-704)

Transitus hic est derelictio religionis in qua quis vota emisit et consequens ingressus immediate in aliam religionem.

Haec praecipue attendenda:

1. Qui transit ad aliam religionem obtinere debet concessionem supremi Moderatoris et de consensu sui cuiusque consilii. Post probationem in alio Instituto admitti potest ad professionem perpetuam quae ad tres saltem annos protrahenda est. Si autem professio non emittatur aut postulatur non admittatur, religiosus ad pristinum Institutum redeat.

2. Transiens ad aliud monasterium eiusdem ordinis eget tantum consensu Superioris maioris utriusque monasterii et capituli monasterii recipientis.

3. Jus proprium recipientis Instituti determinet tempus et modum ut sodalis veniat in professionem.

4. Religiosus sine licentia Sanctae Sedis nequit ad aliud Institutum saeculare aut Societatem vitae apostolicae transire.

5. Facto transitu post professionem in aliud Institutum, sodalis eidem incorporatur cum iuribus et obligationibus novi.

Usque ad emissionem professionis iura et obligationes prioris Instituti suspensa sunt.

Egressus e religione, qui esse potest voluntarius et involuntarius, habet exclaustationem et saecularizationem.

Exclaustatio est egressus ad tempus in saeculo retento ligamine cum religione, idest saecularizatio ad tempus.

Saecularizatio est totalis et perpetuus egressus e religione.

Haec de utrisque sedulo animadvertenda:

Moderator supremus gravi de causa concedere potest indultum exclaurationis non tamen ultra triennium.

Si illud ultra triennium concessum aut prorogatum, recurrendum est ad Sanctam Sedem.

In religionibus juris dioecesani loci Ordinarius indultum istud concedit.

Indultum exclaurationis pro monialibus secumfert unam concessionem Apostolicae Sedis.

Ob graves causas, aequitate et caritate servata, supremo Moderatore petente exclaurationis imponi potest a Sancta Sede pro sodale Instituti juris pontificii vel ab Episcopo dioecesano pro sodale Instituti juris dioecesani.

Exclaustratus exoneratur ab obligationibus quae componi nequeunt cum nova condicione suae vitae.

Expleto tempore votorum, novitius libere potest religionem deserre.

Pariter ob iustas et rationabiles causas, sodalis, perdurante professione temporaria aut expleta, indultum discedendi impetrare potest a supremo Moderatore de consensu sui consilii.

Nisi ob Instituti negligentiam vel laborem, pertracta infirmitas physica vel psychica sodalem reddit ineptum ad vitam in Instituto ducendam etiam post professionem temporariam.

Egressus legitimus concedit religioso restitutionem in Institutum post cognitionem Moderatoris supremi eiusque consilii.

Ob gravissimas causas per indultum saecularizationis religiosus plene a sua religione separatur et a votis obligationibusque proprie religionis prorsus liberatus est.

Si clericus, sacros ordines exercere potest donec Episcopum benevolum receptorem non invenerit.

Discessus ope legis evenit cum fiat per apostasiam, per matrimonium contractum vel attentatum, per homicidium patrum vel raptum vel vulnerationem, per aborti procurationem, per concubinatum vel vitam scandalosam. Dimissio non est omnino necessaria in duabus dictis condicionibus.

In omnibus casibus de quibus delicta impugnanda sunt.

Ob alias causas graves, externas et comprobatas sodalis potest etiam dimitti. Decretum dimissionis vim habet post Sanctae Sedis confirmationem.

De dimissione sodalium particulatim Codex recitat in canonibus 694-704.

Institutum erga sodalem remotum aequitatem et evangelicam caritatem servet.

De religiosis ad episcopatum evectis (705-707)

Religiosus ad dignitatem episcopalem evectus manet religiosus quoad privilegia, vota et obligationes, iis exceptis quae cum sua dignitate ipse prudenter iudicet componi non posse. Eximitur tamen a potestate suorum Superiorum et vi voti oboedientiae uni Romano Pontifici manet obnoxius.

Si per professionem dominium bonorum suorum amiserit, exinde habet usum, usumfructum et administrationem; proprietatem bonorum vero acquirit dioecesi; omnia alia Instituto vel Sanctae Sedi. Si ex professione dominium bonorum non amiserit, recuperat usum, usumfructum et administrationem. Quae postea sibi obveniant sibi plene acquirit. In utroque casu bona, quae ipsi obveniant non intuitu personae, disponere debet secundum offerentium voluntatem.

Quoad habitationem et sustentationem valet praescriptum canonis 707.

De Conferentiis superiorum maiorum (708-709)

Superiores maiores possunt utiliter consociari in Conferentiis seu Consiliis ad finem singulorum Institutorum assignandum sive ad communia negotia pertractanda sive ad coordinationem vel cooperationem instaurandam.

Conferentiae habeant a Sancta Sede statuta approbata.

ANNOTATIO: Potissimum ex dictis intelleguntur: Codex non definit legitimam aetatem ad Superioris electionem vel designationem.

In electionibus vim juris habet suffragatio absoluta eorum qui praesentes sunt.

Maiores potestates Superioribus tribuuntur.

Discrimen inter professionem simplicem et professionem solemnem deficit.

Concessio ad transitum in aliud Institutum unice a Superioribus supremis utriusque permissa est.

Dimissione peracta, ipso facto cessant vota et obligationes ex professione deductae.

Si religiosus remotus clericus est, ipse sacros ordines exercere nequit donec Episcopum inveniat.

De Institutis saecularibus (710-730)

Institua saecularia sunt societates ab aliquo saltem Episcopo approbatae, quarum membra, in saeculo viventia, acquirunt christianam perfectionem secundum consilia evangelica et exercent apostolatam ad mundi sanctificationem.

Instituta saecularia ab Institutis religiosis differunt quia vitam communem sodales non habent, vota sacra non profitentur et laici ac clerici esse possunt.

Canonicam eorum condicionem sodales praeterea non mutant.

Constitutiones provident eorum regimen, admissionem et obligationes membrorum necnon Moderatoris electionem.

Bona temporalia Institutorum sunt bona ecclesiastica; proinde eorum administratio regitur normis Libri quinti et jure proprio.

Sodalium admissio esse potest temporaria vel perpetua.

Invalide admittantur: qui maiorem aetatem nondum attigerit; qui sacro vinculo in aliquo Instituto vitae consecratae obstringitur aut in Societate vitae apostolicae incorporatus est; coniux durante matrimonio.

Tempus probationis initialis definitur biennio non brevius quo elapso candidatus idoneus tria consilia evangelica assumet.

Quae prima incorporatio, quinquennio non brevior, temporaria est.

Postquam sodalis, idoneus iudicatus, admittetur ad incorporationem perpetuam seu definitivam.

Dimissio regitur jure proprio Institutorum sed sodalis perpetue incorporatus indultum discedendi petere potest per Moderatorem a Sede Apostolica, si juris pontificii Institutum est; secus ab Episcopo dioecetano.

Indulto concesso, omnia vincula et obligationes ab incorporatione deductae cessant.

Quoad transitum ad aliud Institutum saeculare serventur praescripta canonum 684 et 685.

Licentia Sedis Apostolicae requiritur ut transitus fiat ad aliud vel ex alio Instituto vitae consecratae.

ANNOTATIO: Hic Codicis titulus novus est et repraesentat Institutorum saecularium disciplinam post Constitutionem «Provida Mater» et documenta: «Lex fundamentalis», «Primo feliciter», «Cum Sanctissimum».

De Societatibus vitae apostolicae (731-746)

Consociationes, quae hodie nomine Societatum vitae apostolicae veniunt, accedunt christifidelium coetibus, quorum sodales sine votis religiosis vel per consilia evangelica secundum propriam vitae rationem ad perfectionem caritatis tendunt, ducentes vitam fraternam in communi.

Societates sunt clericales et laicales. Earum regimen a constitutionibus determinatur.

Ad erigendam consociationem competens est Auctoritas Societatis, praevio consensu Episcopi dioecetani.

Regimen et sodalium admissio dependent a jure proprio cuiusque Societatis.

Ratione personae iuridicae, bona temporalia Societates acquirunt, possident, administrant et alienant, ad normam praescriptorum Libri quinti necnon juris proprii.

Cum consensu sui consilii indultum a Societate discedendi supremo Moderatori reservatur, nisi aliter constitutiones propriae praescribant. Item licentia sodali definitive incorporato ad aliam Societatem vitae apostolicae transeundi.

Quoad transitum ad Institutum vitae consecratae vel ex eo ad Societatem vitae apostolicae, licentia Sanctae Sedis requiritur.

Denique Moderator supremus cum consensu sui consilii concedere sodali potest indultum vivendi extra Societatem non tamen ultra triennium.